Digitized by Google

5.3.381

Digitized by Google

DE CURATIONE
STRANGURIAE
CONTUMACIS &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE CURATIONE

STRANGURIA

CONTUMACIS

Frequentem, maleque tractatam,

GONORRHOEAM VIRULENTAM

Conſequentis.

JOHANNIS HIERONYMI LAPI

DISSERTATIO.

Editio altera retractatior, & auctior, cui primum accedit ejuſdem.

DE ACIDULA

AD RIPAM TYBERIS

EPISTOLA

AD NOBILEM VIRUM

JOHANNEM PETRUM

LUCATELLIUM

Marchionem Ripae Altae &c.

ROMAE MDCCLIV.
SUMPTIBUS VENANTII MONALDINI
BIBLIOPOLAE IN VIA CURSUS.

TYPIS ANGELI ROTILII
IN ÆDIBUS MAXIMIANIS
SUPERIORUM PERMISSU.

5. 3, 381

Digitized by Google

Digitized by Google

VENANTIUS MONALDINIUS BIBLIOPOLA

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

I*N hac tanta, qua in praeſens abundamus librorum copia, eorum certe nonnulli lucem adſpiciunt, quos tum rerum tractatarum gravitas ac utilitas, tum novitas & elegantia mirum in modum commendant. His de cauſis Johannis Hieronymi Lapj, Medici ac Philoſophi eruditiſſimi, egregiam Diſſertationem* De Curatione Stranguriae contumacis &c. *tribus ab hinc annis in lucem editam, ab omnibus eſſe maximi habitam, libenterque acceptam, & Clariſſimorum Scriptorum laudes in Auctorem conlatae, & prioris editionis exemplorum, quae facile diſtracta ſunt, inopia, & omnium fere Bibliopolarum, maxime tranſalpinorum, efflagitationes manifeſtiſſime oſtendunt. Ut igitur omnium votis ſatisfacerem, & Auctoris nomen magis clareret, diſſertationem ipſam, ſecundis curis ab eo perpolitam & auctam, rurſus typis excudendam volui. Et cum praeterea humaniſſimi viri*

in

phyſicis pertractandis , hiſtoriaque naturae lucida ingenium me non lateret , eum rogavi , bono publico conſulens , ut perquam utiles obſervationes ſuas , ſuper Acidulam ad ripam Tyberis olim inſtitutas , & in Epiſtola ad Nobilem Virum , Marchionem Johannem Petrum Lucatellium diſpoſitas , nunc primum in lucem ſineret prodire . Ex quibus , tam in Diſſertatione enarratis , quam in Epiſtola ſcriptis medicam phyſicamque rem , novis inluſtratam reſpicies doctrinis . Quamobrem gratias mihi maximas te eſſe habiturum , ſpero . Vale .

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patriar. Coſtantinop. Viceſgerens.

ADPROBATIO.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Joſephi Auguſtini Orſi S. P. A. Magiſtri attente legi Diſſertationem *De Curatione Stranguriae contumacis* &c. a doctiſſimo Viro Johanne Hieronymo Lapio ſecundis curis perpolitam & auctam una cum Epiſtola, aliam continente Diſſertationem *De Acidula ad ripam Tyberis*: in qua omnia ab Auctore clariſſimo & diligenter obſervata, & prudenter concluſa, & concinne diſpoſita animadverti; nihil autem abhorrens a Catholica Fide, aut bonis moribus, Quocirca eas digniſſimas cenſeo, quae lucem adſpiciant.

Ex AraCoeli idibus Juniis 1754.

F. Joannes De-Luca Venetus
Examinator epiſcoporum.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter Socius, Ord. Praedicatorum.

Primoque medendi ſcientia , ſapientiae pars habebatur , ut & morborum curatio , & rerum naturae contemplatio , ſub iiſdem auctoribus nata ſit . Cornel. Celſ. lib. 1.

Digitized by Google

P.H-19588-

JOHANNIS HIERONYMI LAPI

DISSERTATIO

De Curatione Stranguriae &c.

INter plurima, maximeque hominum generi utilia, quae paucis ante ſaeculis medicorum ingeniis reperta ſunt, jure, ac merito magni habendae videntur regulae, & modi, quibus exitiali morbo medemur, quem ſyphilidem, morbumve gallicum appellant. Jam a pluribus dictum de argento vivo, ab aliis dictum de radice ſalſae parillae, caeteriſque pharmacis huic peſti propulſandae accommodatis. Etſi vero ob rectam eorum adminiſtrationem, totam ab infecto corpore receſſiſſe ſyphilidem, frequenter novimns: tamen nonnullas humani corporis partes, ita ipſius potenti viru, & medentium imperitia non ſemel affectas vidimus, ut ad

Digitized by Google

priorem illas integritatem reſtituere, viri peritiſſimi minime potuerint. Ea in caeteris morbi hujus reliquiis deterrima affectionis ſpecies numeranda eſt, quam alii *carunculam urethrae, & carnoſitatem*, alii *ſtranguriam contumacem, frequentioris gonorrhoeae pediſequam* nuncuparunt. Eandem patientes, ſaepe, at aegerrime micturiunt, quandoque urinae effluxus non ſine vitae diſcrimine omnino impeditur, & puris aliquantulum ab urethra, quam ardores, & punctiones interdum excruciant, fere continenter defluit.

Huic ſanandae multiplices curandi methodos jandiu ſolertes medici excogitarunt, ſed multae ipſarum periculis, curiſque refertae ſunt, inanes aliae, aut certe ejuſmodi, ut noniſi precaria, brevique duratura levamina adferant, ac propterea a re medica, ipſiſmet novorum remediorum fautoribus, inventoribuſque conſentientibus, plane exulare jubentur. Porro ſi unamquamque, ab iis deſcriptam, methodum velim enarrare, multus eſſem, & mihi prorſus deeſſe viderer, qui, caeteris omiſſis, tutiorem aliam, pluriesque feliciter tentatam, exponere hac mea elucubratione decreverim.

Quam in rem illud primo animo recolendum arbitror, ante Saeculum XV. hanc ſtranguriae ſpeciem Europae incolis haudquaquam patuiſſe, quam ſubinde, ceu venereae luis, ex America ad nos tranſvectae, propaginem, doctiores medici exiſtimarunt. Quamvis hunc morbum aliunde deduci, negare plane non auſim; tamen ipſemet, praeſtantium quoque virorum teſtimoniis innixus, ne-

neminem, hujuſmodi ſtranguria laborantem, adhuc a me cognitum eſſe memini, qui ante ſyphilidem non acceperit, & urethrae, ob frequentem gonorrhoeam tabeſcenti, noxios liquores, ex acidis, auſteris, aliiſque paratos, antea non infuderit. Quare foeminas, patientes gonorrhoeam, quæ facilius externas pudendi partes, & uteri vaginam, quam urethram inficit, neque ſimilia in hunc canalem, virili laxiorem, brevioremque, ingerentes, vix unquam in *carnoſitatem* incidiſſe, non ignoramus. At cum mares ubique huic morbi generi ſpectentur obnoxii, & cum canalis, urinam e veſica ducendi cauſa fabrefactus, atque finitimae huic partes, primam, & propriam aegritudinis ſedem ſuſtineant, tum ipſius canalis, tum finitimorum locorum brevem praemittam deſcriptionem, lecturis, ut ſpero, non ingratam, rei autem noſtrae futuram valde conducentem.

Itaque, urinae, & ſeminis maſculini effluxui accommodatum, fabrefecit natura canalem, cui nomen urethra, amplitudine parvum calamum ſcriptorium haud excedentem, longitudine varium, non omni ex parte rotundum. Adhaeret urethra ambobus cavernoſis corporibus, mentulae extumeſcentiam conciliantibus, ipſius portiuncula ad veſicam excepta, a cujus hiatu anteriori, vulgo collo, producitur. Anatome in primis obſervat in urethra ſpongiis aſſimile corpus, pyriforme, cognomento bulbum; hic inferae, convexaeque illius haeret parti, atque exinde diviſus, ei circumvolvitur. Prior urethrae pars membranacea innititur

 albi-

albidae cuidam maſſae, duriuſculae, caſtaneiformi, inter veſicam urinariam, bulbumque ſitae, graeco vocabulo *προςαται*, quod locum veſiculis anteriorem ſonat, & plurali numero dicimus, quia binos lobulos, canaliculo, ſuperne ducto a baſi ad verticem, diſtinctos efformare, videntur. Proſtatae, quae recto inſident inteſtino, intus ſunt ſpongioſae, at dura praeditae ſubſtantia: Hujus lobi plures habent folliculos, ad canaliculum, cujus ſupra meminimus, hiantes. Recto curſu colem pervadens urethra, non mediam glandem oſtio ſublongo, ſed imam perforat.

Praeterea in ſuperiori urethrae parte inſerta proſtatis, exigua quaedam extat prominentia, poſterior craſſa, & ovalis, anterior in aciem deſinens. Haec modo *caruncula*, & *criſta galli*, modo *caput gallinaginis*, *granum hordeaceum*, & *veru montanum*, dicitur. Ubi ea craſſior fit, vel unum, vel duo, vel tria diſpiciuntur foraminula, ſemini, tam recta fluenti a paraſtatis, quam a veſiculis, ad quas, moram facturus, digreditur, fluxum cedentia. In hanc etiam craſſam carunculae partem quaterni, aut quini, aut ſeni, confluunt ductus, humorem, in proſtatis ſecretum, emittentes. Tenuis membrana, intro ſepiens urethram, pluribus diſtincta eſt vaſculis, multique oblongi hiatus, ſive lacunulae per ipſam diſtribuuntur, quarum nonnullas, praeſertim glandi proximas, facilius ſenſu apprehendimus. Hae nihil aliud ſunt, quam canalium orificia, effundentium liquorem, in glandulis, per urethram diſpoſitis, elaboratum. Spongio-

gioſa urethrae textura vix incepta, duae, caeteris ampliores, ſpectandae occurrunt lacunae, quas adeunt bini longi ductus, a totidem glandularibus maſſis, circa bulbum poſitis, prodeuntes. Quae glandulares maſſae, antiproſtatae, proſtatae inferiores, & glandulae Cowperianae vocantur. Adeſt ſaepe tertia, quam nonnulli glandulam Cowperi tertiam appellant.

Diximus, in craſſa carunculae parte unum, duo, ſeu tria patere oſtiola, ſemen a teſtibus profuſum evomentia, canales vero, ſemen huc deportantes, praetermiſimus. Ii quidem ad urethram non adtinent; ſed quia non raro morbus, cujus ſanationem promittimus, hos, & veſiculas ſeminales obſidere ſolitus eſt; nonnulla de iis ſummis labiis, ut ajunt, delibare, operae precium duco. Hi ductus, foris aliquantulum plani, intus cylindrici, qui vaſa etiam deferentia nominantur, ſubſtantia quadam albicante, & valida donantur, atque ad calami ſtraminei magnitudinem accedunt. Ab utraque epididymide, ſeu paraſtata unus diſcedens vaſorum ſanguineorum ſpermaticorum cellularem vaginam aſcendit, ac ex eorum mutuo nexu funiculus, nomine ſpermaticus, coaleſcit. Vtrique ſubinde membranaceam peritonaei laminam introeuntes, a vaſis ſpermaticis recedendo, per cellularem ejuſdem ſubſtructionem, itinere inverſo, non longe ab arteria umbilicali, & uretheribus, veſicam urinariam aſſequuntur. Sub hac reptantes, ejuſdem collum petunt, ibique mutuo occurſu terminantur. Ita conjuncti, veſiculas attingunt ſeminales,

quae

quae ſunt membranacea, & celluloſa ſervandi, perficiendique ſeminis receptacula, inter rectum inteſtinum, & veſicae collum oblique collocata. Denique ab extremitatibus partim unius canalis deferentis, partim unius veſiculae, utrinque duo tubuli naſcuntur, qui proſtatarum baſim inter, & urethram excurrentes, & hanc oblique penetrantes, ad veru montanum, uti animadvertimus, ſeminalem liquorem eructant.

His igitur perpenſis, delicatulam hanc, & mollem minimorum organorum ſtructuram laedi facillime poſſe, atque corrumpi, mirum certe non erit: Ac cum præſtantium doctrina hominum obſervationes, & experimenta liquido nobis ſuaſerint, hujuſmodi ſtranguriam earum alterutris partium inſidere, reliquum eſt, ut, ſede morbi explorata, ad morbi ipſius indolem, naturamque ſermonem convertamus.

Neminem, qui in re medica hoſpes non fuerit, latere puto, ſubſtantiam illam principem, quæ & ſyphilidem proprie conſtituit, & infeſta hujus ciet ſymptomata, eſſe naturae tenuiſſimae, & ceu potentis veneni, ſummopere efficacis, ac particulis, phyſico vocabulo alcalicis, ſive acribus, nequaquam acidis, adſcribendam. Ipſa diſtanti corpore apud nos nunquam obeſſe viſa eſt, cum, niſi mutuo attactu, virus non propagetur. Per os vero, mammarum papillas, cunnum, anum, mentulam, aliaſque partes, tegumento ſubtiliori munitas, viſcida madentes uligine, & tenui oleo illitas, celtica lues excipi ſolet.

Ete-

Etenim, ſi concubitu mas ab impura foemina per urethram venereum recipiat contagium, & hinc gonorrhoeae fiat obnoxius, ſaniem cenſeo, tabumque a vulva, & genitalibus, jam labe corruptis, manantem, concluſam in ſe retinere ſyphiliticam materiem, quae, aut vaporem ſimulans, aut tenuioribus, liquidioribuſque humorum partibus confuſa, hiantem, caleſcentem, atque expeditam erecti penis urethram ingreditur, & ſtatim a muco, lymphaque, ipſius cavitatem linientibus, ebibitur. Ii tum computreſcere incipiunt humores, & membranæ, qua urethra intrinſecus veſtitur, vaſcula fibrillaeque, virus potentia perculſae, rumpuntur, lacunulae item, canalium emittentium oſtiola, & caruncula ſenſim roduntur, laceranturque. Humores, canalibus retenti, ſubinde diffunduntur, aër a firmis, liquidiſque partibus, mutuo aeſtu ferventibus, recedens, parvulas movet extumeſcentias; caloris, doloriſque pungentis ſenſus, mingendo praeſertim, urethram cruciat; mox quaedam variae amplitudinis, & continuo pure fluentia, ulcera naſcuntur. Hinc gallicum virus, intro reſorptum, ſolutionis ſpeciem referens, augetur in dies propagaturque, inſtar fermenti, pene dixerim, panis conficiendi cauſa, in triticea farina ſoluti.

Si nimium frequens admiſſa ſyphilis nova ulcera antiquis cicatricibus infligat, maximum parvis hisce, teneriſque organis detrimentum adfert, & difficillimam tanti morbi de die in diem ſanationem reddit. Equidem haud negabo, ulcera per-

perſaepe urinae curſu irrigata, aëris acceſſui expoſita, & a manuum tractatione remota, tarde ſanari, tantamque eſſe interdum firmarum partium labem, ut quaelibet, a ſapienti medico conquiſita, remedia fruſtra adhibeantur. At callus, caeteraeque ſordes, quibus talia ulcera, carunculam, ductus ſeminales, proſtatas &c. depaſcentia, adimplentur, & vere ſtranguriam inducunt, niſi medendi ergo imperita manus acceſſerit, numquam mihi exoriri poſſe videntur. Jandiu enim apud inſcitum medicorum vulgus, agyrtaſque mos invaluit, vixdum ſignis virulenti fluxus apparentibus, inflammatam, dolentemque urethram perfundendi injectionibus ex chalcantho maxime, ex ſaccharo ſaturni, ex ferro, aliiſque ſimilibus, abſtergendi nempe, & citiſſime ad cicatricem perducendi gratia, ulcuſcula recens enata. Quibus interdum alia ex rebus balſamicis, aromaticis, & roborantibus appellatis, medicamenta intermiſcent. Horum particulae, aqua innatantes, corruptis fibrillis adjunguntur, eaſdem inter ſe arctius compingunt, fluenteſque liquores mirifice retardant. Quare & humores, & vaſcula, & rerum injectarum particulae, ſimul coeuntes, adeo junguntur, ut luridas, fungoſas, calloſaſque ulcerum oras paulatim fieri neceſſe ſit. Atqui, ipſam aegrorum, vera profitentium, aſſertionem, & albam duramque cruſtulam, admoto poſt atramento ſutorio, nuper exortis in ore ulcuſculis ſubcreſcentem, hujus rei fidem facere, ita eſt perſpicuum, ut non ſit opus longa ora-

oratione demoſtrare. Tranſacto igitur virulentae gonorrhoeae curſu, quem ad tres circiter menſes produci poſſe concedimus, urethrae *carnoſitatem*, ſive ſtranguriam eos incurriſſe, certum eſt, qui poſt diutinam, quoad volentibus contingere poteſt, urinae retentionem, externum urethrae hiatum, & penis glandem, pure aliquantulum illitam reperiunt, & digitis a perinaeo ad coronam glandis premendo deductis, guttulam quandam, vel ſubalbidi, vel vireſcentis puris ab urethra defluentem conſpiciunt. Saepe contractiones, punctioneſque circa perinaeum excitantur, & valde moleſtus glandem pruritus excruciat. Parce micturiunt aegri, ut ſuperius indicavimus, ac frequentiſſime; atque aegerrime poſtea, gravique contentione, vix mingere poſſunt, ſi forte urina diutius fuerit comprimenda. Nunquam pleno alveo lotium fluit; ſed tenui, intermiſſo, creberrime bifido curſu decidit, a veru montano ad penis coronam urethra dolente, albiſque filamentis in matula ſaepe deſidentibus. Ampliores tunc, diuturnioreſque fiunt aeris inſpirationes, ut fortius diaphragma, eique ſubjecta viſcera ad retardatum urinae effluxum promovendum deprimantur. Ea morbi ſymptomata ob frequentem coitum, & equitationem, in pravo item cibi, potuſque genere utentibus, ac vehementi animi pathemate commotis frequenter adeo ingraveſcunt, ut ſtranguria in plenam urinae ſuppreſſionem, iſchuriam dictam, quandoque evadat; vel

contra, ſed rarius, in perpetuam urinae incontinentiam poſtremo ſe vertat.

Interea, ſi catheterem, vel ex plumbo, ſtanno, argento, cera conflatas virgulas quis immittat in urethram, ulcerum ſitus, & calli, fungoſaeque carnis duritiem, mollitiemve explorabit; Cum vero illas extraxerit, extremitatem pure inquinatam, ac urinam expeditiori, ampliorique alveo ad breve tempus fluxiſſe, conſpiciet.

Cauſis, ſymptomatibus, loco, & morbi ſignis, quantum erat praeſentis inſtituti, veluti in conſpectum quendam adductis, negabit mihi nemo unus, chirurgos omnes, & ſuperioris ſubſellii medicos, hujuſmodi ſtranguriam, aut difficillime, aut nunquam ſanari poſſe, mirum in modum conſenſiſſe; inter hos Junckerus, Benevolus, Heiſterus, Aſtrucius, Garengeotius, Brunnerus eminent, horum plerique omnia adurendi, exſiccandi, & adſtringendi vi praedita, topica remedia cane pejus eſſe & angue vitanda, arbitrantur. Virgulas autem, ex cera, plumbo, aliiſque ejuſmodi comparatas, in urethram, *carnoſitate* affectam, demitti praeſcribunt, haud caeteroqui negantes, propter virgularum uſum, temporis diuturnitate, ac nimium plena faſtidii diligentia moroſum, etiam atque etiam aegrotantes jure taedere, & ipſorum neminem penitus, & omnino convaluiſſe. Crebro ſtranguria laborantes, curandi methodis, ab Heiſtero, Benevolo, ſeu Aſtrucio enarratis, diu ſubjectos vidi; at, fruſtra

ſtra re tentata, immo ſuo ipſorum, detrimento, oleum, & operam perdiderunt. De tanti igitur morbi cauſis, & ſymptomatibus mihi quam ſaepiſſime cogitanti venit in mentem aliam novamque, veteribus praetermiſſis, medendi rationem amplecti, qua olim amicus optimus, acerbis ſtranguriae affectionibus cruciatus, ocyus quam ſperaret, primus & omnino convaluit. (1).

Cum itaque ſtranguriam, de qua nobis eſt quaeſtio, ab ulceribus ſordidis ad urethram praecipue latentibus provenire certum ſit, quae ipſa ad cicatricem nullo modo deduci poſſe videamus, niſi enatas ſordes, callumque removere moliamur. Hoc certe emollientibus ſatius quam erodentibus, vel exſiccantibus medicamentis, ſeu plumbeis virgulis obtineri, felici experientia innixi affirmare non dubitamus. Quibus auferendis ſordibus omnia, quae ex mucida, pingui, & terreſtri materia ſimul admixta componuntur, & in aqueo ſolvuntur fluido, apprime accommodata proſpicimus, atque ob eorum effectum emollientium, ſive laxantium nomine ſunt inſignita. Haec tarde, & leniter agendo, neque ſanas partes torquendo, tuto, nec multum incommode morbi ſemina paulatim extinguunt. In callo certe, & ſordibus ab ulcere externo tollendis, chirurgi rariſſime aquea, ſeu pinguia laxantia ſolent adhibere; cum & ferro caedere, & erodente conſumere deperditas quidem, verumtamen vivo corpori adhaerentes ſubſtantias opportune conſpiciantur.

(1) Vide hiſtoriam primam in calce Diſſertationis.

Summus autem vir Johannes Junckerus (1) calli evulſionem commendat emollientibus eſſe tentandam, cujus a ſententia clariſs. Gerardus Van Swieten (2) minime diſcrepare videtur: Hi vero lene aliquid, balſamicam naturam redolens, laxanti remedio miſceri voluerunt. Optime quidem, & ſapienter admodum, cum laxans medicamentum, inſidere diu callo debeat, & pars affecta in ſummum imbecillitatis gradum ceciderit.

Aquam porro, ignis praecipue calore tepentem, ab animantium corporis partibus, iis maxime quae pinguedine,& oleo ſunt minus infarctae, minimo negocio adtrahi obſervamus. Ob quam cauſam hac mutua partium conjunctione tenacitas, duritieſque ipſarum emollitur; & ſi extra humorum circulationem, veluti emortuae, jacuerint, quandam ſolutionis ſpeciem ſubeuntes, diſſolvi incipiunt, digeruntur, putreſcunt poſtea, & a vivis partibus, quibus antea jungebantur, ſub puris, ſaniei, vel aliarum corruptarum materiarum ſpecie, prompte diſcedunt. Tum vero a maligno, ſordidoque liberata onere natura, teneras canalium fibrillas extendendo, & jam diſruptas ſimul jungendo, cicatricem inducit. Mucor ſale, terra & pauco conſtans phlogiſto & per ebullientem aquam a plantis quibuſdam, althaea videlicet, malva, viola &c. extractus, hanc partium immutationem vere promovet; ideoque omni laxanti remedio ejuſmodi mucorem adjungimus. Cum vero a quan-

(1) Conſpect. Chirurg. Tabul. XL. §. V. tom. VI.
(2) Comment. in Aphoriſ. Boeraave. §. 207.

quantitate imprimis inflammabilis , ſive phlogiſticae, materiae, diſperſos undique igniculos contrahentis, haec pendeat ſolutio, ſaepe fit, ut aqua ſola, tepeſcens, vel mucilagine onuſta, depellendis ab ulcere ſordibus ſatis non ſit. Oleum tum, adeps, butyrum, aut quaevis pingui phlogiſto abundantia, ad vagantes colligendos igniculos, ſolutionemque in deperditis partibus excitandam, aptiſſima, erunt uſurpanda. Olea tamen leniſſimo calore fluentia, atque e vegetantium ſeminibus expreſſa, uti amygdalarum dulcium, nucum juglandium, & avellanarum, ex olivis, & ſeminibus peponum, cucumerum, cucurbitarum, lini &c., juxta locorum, temporiſque opportunitates huic medicationi, mox exponendae cenſentur accomodatiſſima: olivarum autem oleum tepens, minime rancorem contrahens, tanquam ſatis idoneum quotidie praeſcribo.

Certior igitur quis factus, ſordida ulcera, membranam urethrae, veru montanum, proſtatas, antiproſtatas, aut veſiculas ſeminales inficientia, ſtranguriam adtuliſſe, hac methodo ipſius curationem impenſe aggrediatur. Primum a vino, aliiſque vinoſis, ſeu fermentatione comparatis potionibus, ab aromatibus, acribuſque quibuſvis vegetantibus, & ab omnibus ſale exſiccatis, fumoque induratis abſtinentiam ad aliquod tempus indicito. Aquam ſimplicem optimam, vel acido tenui ſucco aſperſam, bibendam dato; in prandio autem & coena vini meraci parum deguſtandum permittito. Piſces boni ſucci, teneras volucrum, & quadrupe-

drupedum euchymas carnes, ova recentia, lac, butyrum, horarios fructus, olera ſubacida, amariuſcula, farinoſa, & cerealia ſemina, ſeu triticea, pro cibo ſobrie aſſumenda proponito. Equitationem, celeremque deambulationem, balneum, ſudoris nimiam expreſſionem, at prae omnibus concubitum vitare praecipito. Per haec unam, vel alteram ex herbis malvae, violae, parietariae, althaeae, mercurialis &c. medicus aqua jubeat incoquere: mox aqua poſt decoctionem ſervata, mane, & veſperi per ſyringam, cum prius ea igne tepuerit, terna, quaternave injectione urinae fiſtulam perlui, neceſſe eſt. Verum cum aliquantiſper immorari loco male affecto medicamentum oporteat, ne aqua injecta ſtatim refluat, facile obtinebis, ſi, detracta ſyringa, manus digiti, pollex, index, mediuſque colem intra glandis coronam non laxe circumplicent.

Aegro autem ſi, nullo adjuvante, clanculum ſibi mederi voluerit, dummodo primis vicibus, nondum expertus, ab urethra extremo ſyringae tubulo caveat laedenda, haud difficile rem perſequetur. Statim, injectione peracta, coles digitis circumvolvatur, ac ſyringae tubulus educatur lente, ut commodius infuſus liquor intus contineatur. Subinde conjecti liquoris in callum, & ſordes inſinuationi levi in perinaeo manuum adfrictio apprime favebit: hinc laxatis digitis, liquor urinae commixtus, vel ipſam ſubſequens, exilire conſuevit.

Itaque tertia, ſeu quarta poſt inceptas aquae injectiones die, volens libenſque medicus, aut aeger

aeger alias ex olivarum, vel amygdalarum dulcium oleo, iis poterit ſubſtituere; oleum a ſemuncia ad unciam circiter, quaque vice, in urethram ope ſyringae conjiciendo, noctu ante ſomnum opportunius, quam caeteris diei horis: dabitque operam, ne infuſum reſiliat. Non hunc tamen curandi modum eligere ſemper erit neceſſe, quia & laxantibus aqueis injectionibus prius, & oleo poſtea quolibet uti poterimus, vel aqua tantum cum emollientibus herbis incocta, vel ſolo plures oleo curationes abſolventur. Prior autem medendi ſola aqua modus ad leviorem, alter ad graviorem morbum tuto erit accomodanda. Tam ex aqueis, quam oleoſis conflatas injectiones plerumque veſicam intrare, ibique ad proximam uſque urinae emiſſionem innoxias prorſus ſtetiſſe, centies vidi: nihilque accidit triſte, ſi triduo poſt, quatriduove (quidquid nonnulli ex adverſo deblaterent) olei foedata guttulis urina defluxerit. Cum vero mictionem proximam uſque ad injectionis tempus quis protraxerit, ſtatim conjectus liquor, ſequens urinam, excidet.

Hinc punctiones, contractioneſque ad anum, perinaeum, urethram, & ardor, urina exeunte, percipiuntur; exinde numero juxta ac magnitudine augentur filamenta, in matula deſidentia, frequentioreſque accedunt micturitiones, cum ulcerum ſordes, & callus ob inductam a clyſmatibus ſolutionem abſcedere inceperint. Interim natura, machinationes, conſtitutionemque humani corporis ſolerter dirigens, atque ad ipſius ſervandam incolumitatem aſſidue excubans, vires repente ſuas

pro-

profert. Validius enim cunctam fere muſculorum ſeriem contrahit: proinde capitis dolores, pandiculationes oſcitationeſque ſolicitae, horripilationes multum infeſtae, febriumque rigores non leves creberrime aegrotantem divexant, quas anxius calor, & univerſa membrorum excipit laxitudo. Urina quae tenuis & alba febriles ante commotiones copioſe fluebat, iis accidentibus, flavo & rubeſcenti colore tingitur, multumque deſidit.

Interea injectiones, etſi rarius adhibendas cenſeo, tamen omitti penitus, ineunte praeſertim curatione, nunquam ſuaſerim, Eae namque muſculorum, & nervorum diſtentiones, & febriles commotiones majori minorive morboſarum cauſarum ponderi reſpondent, nec mali quidquam his in caſibus ominantur; maxime ſi putres tum ſordes, filamentaque in urina magis magiſque augeantur. Ad quintam aut ſeptimam inceptis ab injectionibus diem corruptae, atrorubentis, denſae, aliquantulum viſcidae, multimodis diviſae, & ilico deſidentis materiae copiam fluens ſecum trahere ſolet urina, & hac vix ejecta, ampliori liberiorique curſu, morbi feliciter interituri ſignificatione, lotium prodiiſſe cernimus.

Quamvis putris hujus materiae multum ab ulceribus urina refixerit, morbus tamen extinctus minime putabitur. Etenim nonnulli febriles motus, muſculorum nervorumque diſtentiones, atque recurrentes virium laxitudines, praeſertim ſi ab injectionibus ceſſatum non ſit, quam ſaepiſſime redeunt. Eae vero ut corpori noceant tantum abeſt, ut potius

potius ſordium evulſionem, majori humorum in male affectum locum concurſu excitato, faciliorem reddant. Ea quidem ſymptomata putridae materiae egreſſum vel antecedunt ſemper, vel comitantur, quibus admodum copioſa urinae fluxio, cum levi dyſuria, ſolet adjungi. Cujus rei cauſam ab oleo interiorem veſicae membranam, nerveam appellatam, irritante, non eſſe repetendam, praeclara demonſtrat eorundem ſymptomatum acceſſio, etiamſi liquores tantum ex mucidis, aqueiſque veſicam attingant, vel aliquandiu injectiones fuerint intermiſſae.

Callo, caeteriſque durioribus ſordibus, vi priorum clyſmatum evulſis, inſequenti temporis curſu meri puris, concoctique portiunculae, modo albas pelliculas, modo ſubtiles ejuſdem coloris ſquamulas, modo variae amplitudinis furfures repraeſentantes, poſt quamque injectionem cum urina prodeunt, ac majori, quam dicunt ſpecificam, gravitate ſubſidentes, colligi, urina effuſa, obſervarique facile poſſunt.

Injectiones, aut ex aqua laxantibus herbis incocta, aut oleo conficiantur, tum continuis quibuſque diebus, tum alternis noctu conſtantiſſime ante ſomnum, uſque eo ſunt adhibendae, donec ex praedictarum albeſcentium ſquamularum&c., diſceſſione ab urina ſaltem per menſem integram ſe noverit aeger valetudinem conſequutum, non ullam mingendo dyſuriam tulerit, & minime interruptum, expeditumque urinae decidentis fluxum ſenſerit. Putridae enim ſquamulae, furfureſque, quoties quin-

que ſeptemve diebus neceſſario ab injectione vaces, recedunt; ſi vero ei novam des operam, conſuetis, levibus tamen ad caput, artus, ilia, femora diſtentionibus praeeuntibus, revertuntur, &, affecta donec pars inſtauretur, perdurant. De qua etiam partium inſtauratione catheteris, & cerearum aut plumbearum virgularum repetita in urethram immiſſio medicum faciet certiorem.

Si magni nominis chirurgus Benevolus (1) non tantum ad partes relaxandas, multorum ſequens veſtigia, emollientes liquores ſyringa infudiſſet in urethram aegroti, ejuſdem modi ſtranguria laborantis, ſed ut iis artibus morbi curationem abſolveret; olei, aliorumque laxantium uſum, vel periculi plenum, vel inutilem certe non credidiſſet. Angores enim, & moleſtias, quae, peractis injectionibus, adveniunt, ac Benevolum quoque non latuerunt, niſi ab iis ſubito deſtitiſſet, minime noxias fore animadvertiſſet, immo eas conatus eſſe naturae, medicamento adjutae, ulcerum ſanationem molientis, ipſe pro comperto habuiſſet. Quiſnam criticas fieri morborum expulſiones vidit unquam, quin & laborioſi febriles motus, & capitis gravitates, & muſculorum nimiae nervorumque diſtentiones vel antecederent, vel comitarentur? Quibus temperandis ſi operam medicus navet ſuam, bene munere perfunctus habetur.

Diximus in ſuperioribus, ad canales, & veſiculas ſeminales quandoque ejuſmodi ulcera fuiſſe pro-

(3) Nuova propoſizione intorno alla caruncola dell'Uretra pag. 147. ediz. di Firenze 1724.

Digitized by Google

progreſſa; hoc tamen, fauſte procedente injectionum methodo, declarabitur, cum antea vix ullum laeſionis hujus pathognomonicon ſignum praeſto ſit. Aqua tepeſcens oleumve, intro conjecta, ſordes, primum, urethrae cavo propiores, excitata ſolutione, molliunt, deturbantque: deinde in vaſa ſeminalia, & veſiculas repunt, ac ſordes iis adhaerentes, eadem ſolutione diſſolvunt. Tunc corporis natura novos in partibus, ſubſtantiam diſſolvendam proxime circumdantibus, ciet motus: nam praeter eadem vaſa & veſiculas, funiculus cognomento ſpermaticus, & teſtes intumeſcunt, dolent, anus prurigine affligitur; iliorum femorumque muſculi, humores, intra ſe excurrentes ad locum affectum deducendi cauſa, vehementius contrahuntur, ut optata ſordium evulſio, commodior, citiorque fiat.

Tunc inviti ſemen dormientes frequentiſſime projiciunt aegri, quod atrorubenti, ſanguinemque imitanti, colore tinctum, putidius, & conſueto denſius conſpicimus; iique, dolore prope veru montanum excito, ſubito expergiſcuntur. Exinde dolor quidam inſolitus ingraveſcit, qui, ſi umbilicum digito ſcalpas, ab hoc per vaſa umbilicalia, fortaſſe magis ſubtenſa, ad veſicae collum ſive potius ad urethrae bulbum, interne prcpagari ſolet, cum ſordes & callus injectis liquoribus molleſcant, & pus conficiatur. Sanato poſtea morbo, canalibuſque, & veſiculis ſeminalibus omnino deterſis, ſemen, atque organa huic emittendo, perficiendoque fabrefacta, in priſtinum reſtituuntur.

Erit quoque animadvertendum, calculum veſicae interdum ſtranguriae conjungi, vel ejuſmodi ulcera collum veſicae ſerpendo aſcendere, & membranam ipſius interiorem, glandulaſque, nomine mucilaginoſas, afficere. Quamobrem muci copia maxima cum urina egreditur, ſubitoque deſidens, matellae fundo tenaciter inhaereſcit. Eo ſi morbus proceſſerit, boni nihil injectionibus obtinetur; quod ulcera mucido loco inſidentia continenter urinae praeſentia madefacta, veſicae dilatatione & conſtrictione diſtracta, difficillime ad cicatricem perducuntur, neque calculi angores evanuiſſe, niſi poſt evulſionem, certum eſt. Haec autem mucilaginis fluxio, aut calculum in veſica latere, aut glandulas ipſius mucoſas ulcera attigiſſe demonſtrat, uti cadaverum diſſectio me ſæpenumero docuit. Quare in hoc difficili, luctuoſoque rerum ſtatu nunquam ſanitatem aegro deſpondendam, immo ab injectionibus recte abſtinendum, non ſemel admonui. (1).

Cave-

(1) Cujus rei veritatem mihi apertius tribus ab hinc annis contigit agnoſcere, cum de ſtranguria curanda aeger, fere omnibus in Urbe notus, me conſuluerit. Ei muci plurimum quotidie cum urina iandiu fluebat & continua dyſuria neque rara iſchuria affligebatur. Etſi Hanc aegritudinem, vel a veſicae calculo, vel ab ejuſdem vaſto, ſordidoque ulcere exoriri ſtatim exiſtimaverim, adeoque iniectiones non eſſe adhibendas cenſuerim; is tamen, in ſpem ſanationis adductus, opinionem meam quodammo do ſpernens, & oleo amygdalarum dulcium, & emollientibus decoctionibus. voluit urinae fiſtulam, veſicamque ope ſyringae perfundere. Ab herbarum laxantium decoctione nihil triſte neque bonum evenire obſervavimus, cum oleum vero infundebatur, hoc veſicae muco jungebatur, & ita utraque ſimul commixta, ejuſdem cervicem obturabant, ut non, niſi ſub magnis conatibus, acerboque cruciatu, & denſior mucus & urina poſſet guttatim emitti; quare ab injectionibus optimo conſilio ceſſatum eſt.

Cavere denique medicos omnes oportet ab emplaſtris, cataplaſmatibus, fomentis, inunctionibus, caeteriſque laxantibus hoc tempore admovendis dolenti, excalfacto, vel tumenti perinaeo, eique finitimis locis: deterrimum enim funeſtumque ſemper eſt, hanc externis remediis emollientibus curationem inſtituere. Quod ſi imprudenter id fecerint, laxatae eorum attactu fibrae & vaſa collabuntur, & putridae materiae ſinus cavantur, qua poſtmodum, intus collecta putredo, cellulari membrana, cute, cuticulaque diſruptis, ſibi viam aperiet; ſimulque in omni vita per fiſtuloſos inſanabiles hiatus urina derivabitur. (1) Et ſi forte ulcerum ſinus, vel puris congeriem tam longe ab urethra ſeſe extendiſſe conſtet, ut externam partium diſruptionem impedire nequeamus; perito artis chirurgo res committenda, qui prompte ſcalpello abſceſſum caedat, & manu, aptaque medicina plagae cicatricem obducat. Hoc perquam triſte ſuppurationis eventum, homines, *carnoſitate* laborantes, ob meden-

(1) Miles, ſeptuagenario major, antiqua afficiebatur ſtranguria, varias gonorrhoeas, injectionibus ex chalcantho male tractatas, ſubſequenti. Multorum communiumremediorum, quibus jandiu uſus fuerat, inutilitatem faſtidiens, me de ſuo morbo conſulturus convenit. Emollientes ſtatim injectiones, nulla fere die intermiſſa, applicandas indixi, ex quibus febris de more acceſſit, tumorque dolens in perinaeo comparuit. Interea chirurgus imperitus injectiones prohibuit, & laxantia, immo ſuppurantia cataplaſmata loco tumenti accomodavit; his appoſitis locus magis intumuit, ac paulo poſt collecti jam puris ſigna advenerunt. Subinde puris non parum, extrinſecus rupta ſuppuratione, egreſſum eſt. Sequenti die per apertum a putredine hiatum urina ſtillatim cadebat, ex quo fluere nunquam deſtitit ad mortem uſque, quam menſe exacto, virium imbecillitate, ſenio, & febricula conſumptus, haud dubie chirurgi inſcitia, miſerrime obivit.

Digitized by Google

dentium inſcitiam incurriſſe, ſemel iterumque cognovi. Et quendam olim offendi, cui, urethrae alveo relicto, per tredecim, ſi bene memini, urina decidebat hiatus, hiſque demum callo carneve fungoſa occluſis, iſchuria miſer occubuit.

Poſtremo, cum ſordes omnino eſſe depulſas, ac ulcera vix puris aliquid ac ne vix quidem progignere, liquido patuerit, pro laxanti liquore alius robur addens, firmanſque ex herbis virga aurea, millefolio, hyperico, tanaceto &c. aqua ſeu vino parum incoctis, ad menſis dimidium, ſemel in die utilius erit conjiciendus.

Verum qui brevi ſanationem crediderit conſequendam, is certo falſus eſt. Ad menſes enim multos, nihil moleſta, ſaepe produci ſolet curatio. Neque medicinae diuturnitas aegrum ſolicitabit, praeſertim ſi, nullo adjuvante, injectiones alternis, vel continuis diebus peragantur. Aegrotantes igitur etiam atque etiam exhortor, ut laeto animo viam ingrediantur, non tamen ſubito, ſed ſtato tempore decurrendam. Nam ut vetus fert proverbium: *Nemo repente fit ſanus*. Sanitatem vero ſerio ac vehementer deſiderantibus ea brevior eſſe curatio, quae tutior eſt, videtur. Ego autem, niſi animus me fallit meus, certiſſime confido, hujus mei conſilii, ingenti ſtudio, & obſervationibus parti, nunquam fore ut aegros poeniteat; tum a medicae artis peritis, qualecumque illud ſit, haud improbatum iri.

Moni-

Monitum.

QUO amplior in Diſſertatione enarratis ſit fides habenda, & ſermones hoſce meos, non domi fictos, ſed experimentis eſſe confirmatos, certius omnibus pateat, tres morborum hiſtorias, quas antea in adverſaria retuleram, hoc loco ſubtexere decrevi. In quibus etſi plurima pertractatae rei illuſtrationi utilia, poterunt deſiderari; hiſtoriae tamen veritatem nunquam lectori benevolo deſuturam promitto.

Hiſtoria prima.

JUvenis triginta & ſex annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici, quater gonorrhoeam virulentam decennio paſſus eſt. A prima, & altera diluentibus remediis cito convaluit. In curatione autem tertiae, caeteris deterioris, diluentibus injectiones in urethram, chalcantho medicatas, adjunxit. Vigeſima, & prima die gonorrhoea abiiſſe videbatur, at pruritus ſaepe ano moleſtiam adferebat, neque amplius expedito, plenoque alveo urina fluxit. In quartam denique incidit gonorrhoeam, praeteritarum deterrimam, quam ſubito conatus eſt repellere diluentium copioſa potatione, & injectionibus ex atramento ſutorio ſaepius in die dolentem, ferventemque uretrham infuſis. In una ſupra vigeſimam die morbi ſymptomata remiſere; ab urethra vero ſemper aliquid puris ſcatebat, & difficile mingebat aegrotans. Interim ab inje-

injectionibns ad lenia medicamenta cathartica, mercurio, ut ajunt, dulci adjecto, fruſtra confugit. Ingraveſcere tum coepit ſtranguria: namque urina nonniſi ſub magnis univerſi fere corporis conatibus, eaque bifida excidebat, multaque putrida filamenta cum ipſa demittebantur. Digitus cum ſtricte, ad veru montanum, perinaeo admoveretur, dura inſtar anuli prominentia, cum dolore pungenti percipiebatur; ibique morbi cauſam adeſſe, aeger quaerentibus adfirmabat. Primum vulgaribus injectionibus ex calce, vel ex lapide Crollii medicamentoſo vel ex plumbo in calcem redacto, vel ex mercurio praecipitato & dulci, vel ex camphora, ſecundum artem paratis, magno cum ſui detrimento uſus eſt. Subinde ab eo accerſitus, parvulorum cereorum medicationi ut ſeſe daret imperavi, ex qua prominentiam, ſupra memoratam, eſſe principem morbi cauſam, apertius comperi. Cumque cerei cujuſvis extremitas, pure inquinata extraheretur, de ulceris quoque praeſentia certior factus fui; & puris fluxio major erat, ſi perinaei carnem digitis, immiſſi cerei extremitatem verſus adactis, comprimerem. Poſtmodum virgulas plumbeas juxta methodum, ab Johanne Aſtrucio praeſcriptam, diebus pluribus, nihil proficiens, in urethra retinuit. Jam pro comperto habueram a callo ſordibuſque, ulcera opplentibus ſtranguriam exoriri; quam cito lethalis iſchuria ſequutura videretur; atque ob advenientem ſuppurationem a carunculae aegritudinibus (1) olim ſanum evaſiſſe alium

(1) Benevoli nuova propoſizione pag. 133.

alium non ignoraveram: ideo praedictas ſordes laxanti injectione molleſcere, ac putreſcere poſſe ſum (1) ratus. Itaque tepeſcentes primo decoctiones ex herbis mucilaginoſis emollientibus, ſecundo ex oleo vel olivarum, vel amygdalarum dulcium, in urethram fiſtula injiciendas exiſtimavi. Is mihi morem gerens, per ſe ipſum injectiones ex malva ad quintam diem, poſtea ex oleo olivarum alias peregit, ſex aut ſeptem horae ſexageſimis ſpatiis intra urethram injectum retinens liquorem. Septimam a primis injectionibus diem dolor capitis, virium imbecillitas, nimia ad ſomnum proclivias, & denique cum rigore febris acceſſere, quae omnia copioſus ſudor excepit. Per haec cum levi dyſuria plurima albeſcentia filamenta in urina ſubſidebant. Injectiones biduo praetermiſſae, die tertia in uſum revocatae fuerunt; & veſperi ejus diei cum vehementi rigore, diſtentionibus ad ilia praeſertim, & femora, capitis dolore, & copioſo urinae fluxu febris advenit, cui declinanti ſudoris magna vis non defuit. Poſtquam vero febris quievit, aegrotus facile mingens aliqua ſubſtantiae carneae putrefactae fragmenta ſcrutorum inſtar cum urina eduxit, quae mingendum inter apparentia, ilico imam petebant matulam, exindeque liberior urina reddebatur. Triduo poſt injectiones ex oleo repetebantur, febris ex more redibat, ardores ſubrubeſcentis lotii fluxu excitabantur, ac filamentorum plurimum deſidebat. Tunc per virgulam plumbeam, urethrae immiſ-

(1) Vide quod ſupra in diſſert.

Digitized by Google

immiſſam, jam duram illam anuli inſtar prominentiam imminui obſervavimus. Tribus ſequentibus menſibus nihil eſt confectum; ſe enim a morbo ſanatum aeger putavit; At cum inde ex quadam urinae difficultate, punctionibuſque in perinaeo revertentibus, de morbi reliquiis dubitaret, rurſus injectionibus peragendis ſe dedit. Tertia autem veſpera febris de more recurrit, aliaque putridarum ſordium fragmenta, lotio admixta, exciderunt; quare melius aeger ſe habuit. Hinc vel continuis vel alternis noctibus ante ſomnum, ab injectionibus ex oleo nunquam deſtitit; quo tempore, aut febriculae, aut muſculorum vagantes diſtentiones accedebant, aut tenuiſſimae pellucidaeque urinae magna copia excernebatur. Poſtea maturi puris ſquamulae, morbi cum levamento, evellebantur. Interim dormiens creberrimas ſeminis ejectiones invite paſſus eſt, quibus, levem dolorem ad carunculam ſentiens, expergiſcebatur. Semen atrorubenti colore tinctum, tenax, foetidumque ejiciebatur, quod paulatim naturali ſuae conſtitutioni reſtitutum eſt. Ex quo vaſa, & veſiculas ſeminales ulcera ſubter intraſſe agnoſcebatur; a natura idcirco teſtium & utriuſque funiculi ſpermatici contractiones, atque intumeſcentiae inducebantur. Dexter autem funiculus, teſtiſque prae ſiniſtro magis ſurſum trahebatur, intumeſcebat, dolebat; quod aliis ſignis adjunctum, majorem in hac parte eſſe laeſionem oſtendit. Eae fortaſſe ſeminis frequentiſſimae ejectiones in ſomno eveniebant, ut a materia ſeminali effluente ſordes abſtergerentur, quas haec
tran-

tranſitu attingeret. Et quidem remotis plane ſordibus, etſi oleum in urethram immitteretur, illa abierunt incommoda, rarioribus polluebatur ejectionibus. neque ſemen atrorubens nunquam effluxit. Pelliculae dumtaxat, aut ſquamulae, quas in Diſſertatione memoravimus, in urina ſubſiderunt, earum emiſſione levaminis plurimum aegro indiem eveniebat. Tandem ſaepiſſime, & abundanter mingere coepit, ac moleſtus urethram ardor incendebat; cum inopinate magnam liquidae putriſque materiae vim, veluti a furunculo mature rupto, lotio commixtam, quadraginta circiter horarum ſpatio reddidit. Qua de re melius poſtea ſe habuiſſe, obſervavi; donec paulatim per adhibitas ad aliquod etiam tempus injectiones, radicitus morbo depulſo, incolumis factus eſt.

Hiſtoria ſecunda.

Cerdo, aetate quinquaginta circiter annorum ſanguineo temperamento, ob frequentes virulentas gonorrhoeas, injectionibus, chalcantho medicatis, curatas in ſtranguriam incidit moleſtiſſimam. Sub qua, urina multa deferens putrida filamenta, difficili bifidoque curſu, aut ſtillatim cadebat. Stranguria demum tranſiit in iſchuriam; immiſſus urethrae catheter ad granum conſtitit hordeaceum, neque, omni adhibita diligentia, Nicolaus Damianius, chirurgus apud Volaterranos admodum peritus, ultra potuit illum adigere. Catheteri virgulas, & cereas, & plumbeas, regio

 pubis

pubis & perinaei poſtquam laxantibus fota eſt, fruſtra ſubſtituimus: his tantum duriſſimum inſtar anuli obſtaculum, uti priori in hiſtoria, deteximus, cui circa veſicae collum inflatio quaedam adjiciebatur, ex quibus iſchuriam fuiſſe exortam putavi. Cum penitus urina biduo ſupprimeretur, deque eo conclamatum eſſet, in urethram olivarum repente oleum fiſtula conjiciendum, & quoad fieri poterat, comprimi digitis & contineri praecepi. Duabus poſt injectionibus ex oleo, alias ex malva decocta infundi imperavi. Tribus hinc horis tranſactis ſtillatim primum, tenui deinde curſu, multum lutulenti, foetidique lotii exiluit, in quo plurima filamenta putrida perſpiciebantur. Aeger poſtmodum optimam victus rationem, & a coitu abſtinentiam obſervans, in continuo talium clyſmatum uſu ſordes urinae admixtas quotidie excidere ſpectabat. Ex more tamen febres, & muſculorum, nervorumque diſtentiones eruptionem malae corruptaeque materiae praeceſſerunt. Squamulae denique albeſcentes, quae nihil aliud erant, quam puris vere concocti particulae, urina liberius effluente, decidebant. Hoc levamine contentus aeger, parvique habens, quae tum ferebat incommoda, antiquam vivendi rationem recepit; & injectiones omnino voluit dimittere. Quid poſtea illi, non bene & perfecte, ut opinor, ſanato, evenerit, in praeſens neſcio.

Hiſto-

Hiſtoria tertia.

VIR nobilis, quadrageſimum annum agens, poſt gonorrhoeam, injectionibus ex chalcantho male tractatam, levem pertulit ſtranguriam, cui laxantibus, a me praeſcribendis, injectionibus mederi ſtatuit. Una die ut emollientem decoctionem, altera oleum infunderet juſſi. Intra menſem duabus tantum divexatus febriculis, & aliquot leniter recurrentibus nervorum, ac muſculorum diſtentionibus, putridarum albeſcentium ſquamularum magnam copiam quotidie urina demittente, perfecte ſanus evaſit.

Digitized by Google

Digitized by Google

31

JOHANNIS HIERONYMI LAPI
DE ACIDULA
AD RIPAM TYBERIS

EPISTOLA

AD NOBILEM VIRUM

JOHANNEM PETRUM
LUCATELLIUM.

Ripae Altae Marchionem

A SANCTIORI CUBICULO BEATISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIV.

Et Muſaei Capitolini Praeſectum.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILI VIRO
JOHANNI PETRO LUCATELLIO
RIPAE ALTAE MARCHIONI &c.

JOHANNES HIERONYMUS LAPIUS
S. P. D.

CUM imitari ſummos viros non laudabile tantum, ſed prope neceſſarium videatur, in iis praeſertim, quae ingeniorum aliquam exercitationem, & optimarum artium ſtudia reſpiciunt; ab omnibus certe probatum iri confido, ſi praeſtantium Romanorum Civium, Lucretii Cari, Virgilii Maronis, Moderati Columellae exempla ſequutus, qui principibus Civitatis viris, Memmio, Maecenati, Silvino libros ſuos inſcripſerunt, haec, quaecumque ea ſint, ad naturalem romani ſoli hiſtoriam ſpectantia, ad te LUCATELLI AMPLISSIME per litteras ſcriberem. Tibi quidem debentur, quia cum a me primum obſervata, & vix animo concepta, tibi indicaſſem, iis maxime temporibus, quibus valetudinis ergo medicus te convenirem haec humanitate incredibili excepiſti. Huc accedit, quod eximiae bonarum litterarum peritiae, & aſſiduae in veterum monumentis, magno ſumptu con-

Digitized by Google

ac docte explicandis diligentiae, ſagacitati, curae (quo in genere ſtudiorum cum nullius ope indigere videris, tum merito ac jure es conſequutus, ut Pontifex Maximus Muſaeo te Capitolino praeeſſe vellet) optimam in iis, quae ad naturae ipſius indagationem adtinent, voluntatem acceſſiſſe, fuerim admiratus. Itaque mihi de obſervationibus quibuſdam, ſuper Aquam Acidulam, ad ripam Tyberis copioſo ductu fluentem, olim inſtitutis, cogitanti optimum factu viſum eſt, ſi, quae jam explorata in adverſaria retuleram, nunc in meliorem ordinem digeſta ad te per litteras mitterem, ut & quid ſentires intelligerem, & obſervantiam erga te meam aliquo modo demonſtrarem. Nec vero quiſquam eſt, cui magis exploratum ſit, quam tibi, plurimas in agro romano acidularum ſcaturigines emanare, qui BENEDICTO XIV. Pontifice Optimo Maximo jubente, peritis hominibus ad Tyberis curſum ab Hortano tractu uſque ad inferum mare cognoſcendum, ripaſque ejus dimetiendas miſſis praeſuiſti, cui muneri & a Principe, & ab omnibus laudatus mirifice ſatisfeciſti. Quo in itinere cum aquam e puteo, quem vocant Sancti Hippolyti, ad oſtia Tyberis in Inſula Sacra ſcatentem, quaque vulgo homines ad potum utuntur, urinam, calculoſque movere pro comperto habuiſſes, mox ejus naturam chemico artificio per te domi tuae indagando, eam inter acidulas eſſe recenſendam tibi contigit reperire, & me tunc de acidularum qualitatibus familiariter diſputantem audire voluiſti.

Pro-

DISSERTA

Profecto cum ob auctam ſedulis philoſophorum obſervationibus phyſicam doc … nam plurima fuerint inventa, quae magnam partem ad vitae ſimul & uſum & dulcedinem conferunt; aqua, ut ſcis, tantam Telluris partem conſtituens, & animantium, plantarum, foſſilium vel origini, vel augmento, vel conſervationi, vel tandem deſtructioni multum praebens, eorum diligentiam, ſtudiumque occupatione graviſſima detinuit. Quae autem aquarum genera, aut ſapore aliquo ſingulari praedita, aut inſueto frigore, vel calore donata, apparuere; ea magis ipſos exercuerunt, ſed omnium maxime, quaeis ſapor acer acidularum vulgo nomen fecit.

Prae omnibus, quibus ager romanus abundat celeberrima praedicatur acidula, quam non longe a Ponte Milvio dextrorſum ad ipſam Tyberis ripam, duo circiter millia paſſuum ab Urbe, manantem, loci amoenitate ductus, animi cauſa ſaepe numero viſitaſti, & fontis medica virtute inluſtris ſubſtructiones, ſalientes, & ornamenta a ſummis Pontificibus Paulo V. (*a*) Innocentio X. Alexandro VII. (*b*) Clemente XI. (*c*), publicae commoditati conſu-

(a) *Ut patet ex appoſitis inſcriptionibus*
PAULUS V. PONTIF. MAX. An. Sal. MDCXIII. Pont. S. IX.
Et infra *Renibus, & ſtomacho, ſpleni, jecorique medetur,*
Mille malis prodeſt iſta ſalubris aqua.

(b) *ALEXANDER VII. PONT. MAX. ut acidulae ſalubritatem nitidius hauriendi copia & loci amoenitas commendaret, repurgato fonte, additis ampliori aedificatione ſalientibus, umbraque arborum inducta publicae utilitati conſuluit An. S. MDCLXIV.*

(c) *CLEMENS XI. PONT. MAX. Coercito flumine, corrivatis venis, purgatis ductibus, inſtaurato fonte, acidularum ſalubritati, & conſervationi proſpexit An. Sal. MDCCXII. Pont. S. XII.*

Digitized by Google

ata admodum probaviſti. Fontem
nunc novum merito dixit Andreas Baccius Elpidianus (*a*) cum tres acidas Plinii memorans, ita ſcribit. *Harum vero acidarum circa Urbem Romam, quamquam hodie alicujus celebritatis ſint, non invenio antiquam memoriam ſed nova videtur inventio, ut quoque noviter ad ripam Tyberis, haud longe a Ponte Milvio, dextrorſum reperta eſt acidula, quae non multis haſtenus cognita, clarae ſubſtantiae eſt, & hoc ſapore non injucunda*. De qua in hoc uno ſuorum librorum loco verba facit. Is etiam deducit (*b*) omnium acidularum praecipui ſaporis originem a chalcantho, lapide aluminis, ferrugine, aerugine, puteolano pulvere, quibus omnibus agrum romanum, & Campaniam ſcripſit abundare.

Primus omnium Fridericus Hoffmannus, medicus apud Germanos inſignis, veterum errores circa id genus aquarum naturam demonſtravit [*c*]. Eorum enim ſaporem & efficaciam a minimis praecipue ſubſtantiis, nequaquam acidis, intus latentibus ſed contrarie alcalinis, ſeu acribus dependere, innumeris certiſque experimentis cognovit. Id quod in hac, de qua loquimur, acidula comperi, ut ex iis, quae dicam, intelliges. Ideoque ab Andreae Baccii de chalcantho, alumine, aerugine, ferrugine, & Alexandri Petronii de ſubterranea putredine, ſaporem acidulae dantibus, opinione, cui vulgus medicorum conſenſit, recedere neceſſe eſt.

Fre-

(*a*) De Thermis lib. 6. (*b*) ibidem.
(*c*) Differt. de acidularum & Thermarum ratione ingredientium & virium convenientia.

Frequentiſſimus aeſtate fervente inter romanos
ves & agricolas perperam ſæpe, & inconſultis ı
dicis, quo variis occurrant morbis, acidularum uſus
inprimis me compulit, ut operam conferrem ad earum, quibus conſtarent, interiores partes exquirendas; ut poſtea, ipſarum intrinſecus cognita natura, tutius aptiuſque in morbis praeſcribantur.

Atque en noſtra tentamina. Laudati fontis acidulam, inſigniter pellucidam, nihil olentem, & ad aquae communis caloris gradum temperatam, cum aeſtas admodum ſicca, & calida praeceſſiſſet, menſe Septembri anni MDCCL., leviter flante borea, in Urbem adtuli, & hujus libras duas cum ſemiſſe Philippo Ceſanellio, pharmacopolae valde perito, continuo tradidi. Eam vir diligens, praeſente me, in vitream matulam defundens, igni per balneum humidum, ſeu, ut ajunt, Mariae, admovit, ut, in vapores elata, paulatim evaneſceret. Aereae primum innumerae bullulae aſcendebant, & pellicula in aquae ſuperficie apparebat, quam aſcendentes bullulae, ob mutuam conjunctionem ampliores factae, rumpebant, quae peraera volitantes diſpergebantur. Poſtquam omnis áqua evanuiſſet, cruſta quaedàm, ſubtilis & candida vitri lateribus, ejus tamen fundo craſſior, adhaeſit, quae, ab eo revulſa, lancique impoſita triginta granorum pondo fuit. Sed aliqua ipſius portiuncula colligi omnis nunquam potuit. Unde noſtram patet acidulam, caeteras, hactenus notas, materiae illius quantitate aut excellere, aut adaequare, quod maxime cavendum in ejus potatione imperanda. Haec terra, lin-

ae impoſita, acrem ſatis ciebat ſaporis ſenſum, oculis microſcopio munitis inſpecta, varios tomenti inſtar candidos acervulos plurimis cum tenuiſſimis ſpiculis mixtos exhibuit. De qua re gratias habeo humaniſſimo viro, ac de re phyſica optime merito, Hieronymo Oliverio, Societatis Jeſu praesbytero. Hic enim ea, qua in vitris opticis elaborandis, peritia excellit, microſcopium, quo fuimus uſi, omnium, quae noveram, confecit praeſtantiſſimum. Jam vero eadem conſueto artificio deſtillata, aqua tantum pura, ſaporis colorifque expers aſcendit, & in vaſe praedicta terra ſubſidit: ex quo hanc unam acidulae acrimoniam adferre, etiam atque etiam dignoſcimus.

At enim cum omnes naturalium rerum ſtudioſi, plurimis edocti obſervationibus, putent, aquam intra terras excurrentem induere particulas quaſdam, modo acidas, modo alcalinas, utrum acidulae hujus acritudo ab acidis, an ab alcalinis corporibus oriatur, indagemus oportet. Primo in acidulam vitreo ſcypho contentam, & ad aeris externi calorem redactam, quernarum gallarum ſcrobem indidi: tum nativam pelluciditatem exuens, ſolito gallarum, in aqua ſolutarum, colore tincta ſpectabatur. Quod, ſi acidum quodque retineret, certe non accidiſſet, ſed pullam nigramve vidiſſemus. Chalcanthi germanici pollen, ad imum ſcyphi, acidula repleti, deſcendens, ſtatim ſolvebatur, & ſpecie fumi adſurgens, commotionem quandam inter aqueas induxit particulas; quod in acidis liquoribus, vel aqua communi non fit, ut de Aqua Vir-

Virgine compertum eſt. Eadem qu chalcanthi ſpiritu excitabatur, ſal [illegible] ctus nullam adferebat mutationem. Ab argento item in ſpiritu nitri ſoluto acidula ſtatim albeſcebat, &, albo hinc deſidente, pluribuſque aereis adſurgentibus bullulis, ſuperior ejus pars, pelluciditatem recuperans, propriam exuit acredinem.

Rurſus ſyrupo tincturae violarum adjuncta viridem accepit acidula colorem, qui, aucta ſyrupi quantitate, plenior fiebat; cum rubeſcere contra debuiſſet, ſi acido fuiſſet infecta. Quamobrem ab alcalicis terreſtribus corpuſculis acrem illius ſaporem repetendum eſſe, affirmare non dubitamus, & veteri acidulae nomine retento, diverſam tamen eidem naturam adſcribimus. Eadem quoque ab oleo tartari, per deliquium, ut ajunt, parato, e veſtigio albeſcebat, ac ubi tenuiſſimum albumque ſubſidit, limpida rurſus evaſit: in ſubſidenti autem materia leviuſculam ſpiritu chalcanthi, atque aceto vini produximus efferveſcentiam; unde innumerae prodibant aereae bullulae, & omne deſidens per aquam iterum diſpergebatur, quae priſtinum recuperavit nitorem. Idcirco non eſt mihi improbabile, aerem in principe cauſa eſſe commotionis inteſtinae, quam in fermentationibus, efferveſcentiiſque adſpicimus. At ſi, virenti ob ſyrupum violarum, acidulae oleum tartari affundebatur, ſtatim viridia ſpectabantur deſidentia, ſuperiore aqua priorem recuperante pelluciditatem. Hinc etiam a materia terreſtri, quae in ſuperiore experimento candida ſubſidebat, ope adjecti ſyrupi violarum viren-

i colorem, manifeſtum eſt. In Aquâ Virgine poſt affuſum oleum tartari non albeſcente, ſalem communem ſeu muriaticum diſſolvi, deinde oleum tartari adjeci; mixtura tamen eadem perſtitit, tunc per immiſſas aliquot acidulae guttulas, omnia vidi illico albeſcere. Non ergo ob diſperſos ſales albeſcere videtur acidula, ſed ob terram alcalinam ſeu calcariam, qua etſi penitus non carere Aquam Virginem, ab indita argenti, ut dicunt, ſolutione albeſcentem, comperiſſem, tamen in hac minimam contineri, oleum indicat tartari, ideoque ad uſum potus eſt admodum opportuna.

Ut denique certior fierem, terream illam ſubſtantiam ab evaporatione, vel deſtillatione reſiduam, guſtantibus acrem, eſſe haud dubie alcalinam, neque chalcanthum, neque alumen, neque ferruginem, aeruginemque retinere, ipſam ſpiritui ſalis ammoniaci, & oleo tartari addidi, cum quibus nunquam ebulliit, aut admixta eſt, quod profecto, ſi acidum ſaperet non eveniſſet. Statim vero ac chalcanthi ſpiritu, aut aceto vini deſtillato excipiebatur, frigida & vehemens ciebatur ebullitio, & liquor dulcis fiebat. Terrea etiam materia ex Aqua Felici, & violarum ſyrupo liquata, pulchre virebat. Quamobrem de alcalica tantum acidulae hujus, nequaquam acida acritudine, non niſi temere poſſumus dubitare. Atque ut aliud in eamdem rem tibi experimentum adferam, ſcias velim, caprinum lac, ad coagulandum more ſolito comparatum, caſeum, in medio feri coactum, tenerius molliuſque dediſſe illam pelvim, in qua ipſa-

noſtrae aetatis.

ipſamet acidula, vel acris
cta, quam eam, quae purum
eventus mirifice confirmat, lac, ixtum, facilius in ſtomacho digeri; quam methodum a Friderico Hoffmanno prius indicatam, ſummo cum aegrotantium fructu non ſemel adhibui. Neque vero ſilentio praetereundum eſt, acrem hunc pulverem, ſimilem prorſus eſſe ſalis, ex ſoda ſeu herba Kali ad vitri compoſitionem parati: ita ut aqua deſtillata ab acidula, vel aqua communis, poſtquam ei ſal ſodae, eadem proportione, jungebatur, vix a fontali acidula diſtingueretur.

Tibi poſtremo loco non ingratum fore puto, ſi prior ſane demonſtravero, huic, caeteriſque agri romani acidulis non chalcanthum, non alumen, non ferruginem, ſed veram alcalicam terram ingeri a quodam dumtaxat genere tophi, qui, & lapidis & arenae forma, paſſim latens in agris reperitur, & vulgo pulvis puteolanus, arena puteolana, italice *pozzolana* vocatur, atque aedificiis conſtruendis mirum in modum conducit. Quod facile patebit, ſi animadvertes; omnes hujus regionis acidulas, aut in locis, alicui fodinae puteolani pulveris finitimis, aut ad imas radices collium, ejuſmodi topho abundantium, aut in iiſdem fodinis ſcatere; ut ipſe deprehendi in acidulis prope Monaſterium Sanctorum Vincentii & Anaſtaſii, Trium Fontium, ſeu ad Aquas Salvias, apud Viam Oſtienſem; & in alia non longe a Via Latina, quae dicitur *Balneum Aquae Sanctae*, *Lacus Sanctus*, *Lacus ſalutaris* (a) At quod

(a) Nardini Roma Antica lib. 3. cap. 2. reg. 1.

lentibus, exci reſt, acidula ad ripam Tymus, e radicibus fluit imminentii, in quibus puteolanus pulvis abundat, & per quamplurimos deductae cuniculos vaſtiſſimqe arenariae & hypogaea, quae circa Salarias utraſque, veterem ſcilicet & novam, Vias item Nomentanam, & Tiburtinam, veteres fodiendo effecerunt, quorum multa ſepulcro priſci Chriſtiani ſumpſere. Quadere ut longe certior fierem; libram unam pulveris puteolani in Aqua Virgine diſſolvi, tum deſidente ſubito arena, ſuperior aqua albeſcebat. Haec, remoto pulvere, cum igni in matella vitrea fuiſſet expoſita, evanuit, & ſubalbicantem terreſtrem materiam vitro haerentem reliquit, quae linguae impoſita acrem reddidit ſaporem, reſpuit oleum tartari, cum chalcantii ſpiritu ebulliit, non vero cum ſpiritu ſalis ammoniaci. Vehementer etiam efferbuit cum aceto vini deſtillato, quod poſtea factum eſt dulce; ipſius item cum ſyrupo violarum mixturam vireſcere ſubito aſpeximus. Quae acri alcalinae acidularum terrae penitus & omnino convenire ſuperius adlatis obſervationibus, & experimentis apertiſſime oſtendi. Et ſi quis loca, ubi fluunt ejuſmodi fontes diligenter exquirat, valde fallor, aut pulveris puteolani fodinas ad ſummam populorum in aedificiis excitandis commoditatem inveniet, & ab alcalina illa terra ſingulares ipſius in tenaci ſtruendo caemento proprietates pendere cenſebit.

Quae cum publicae ſaluti, & commoditati ſint maxime conducentia, neque a dignitate tua alie-

43

D i s

aliena, & in phyſica
guum ſit, nihil tam v
eruditis, doctiſque viris
aeſtimari, non verebor, ne non
perlegendis aliquid temporis inſumas. ... interea, LUCATELLI CLARISSIME, ſtudium univerſum, operam, & fidem meam accipias velim; quod ſi omnes a te fieri intelligent, nihil mihi jucundius accidere poteſt. Vale

ROMAE Kalendis Juniis MDCCLIV.



P.H. 11588 Z-

Digitized by Google

Digitized by Google